

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

**Divinae Provendentiae Vestigia in Correctore Georgio
Christiano Ibbeken Deprehensa D. XIX. Septemb. A. C.
MDCCXXXVIII. In Schola Oldenburgensi Contemplanda
Sttit**

Ibbeken, Rudolph

Oldenburgi, [1738?]

VD18 90659449

urn:nbn:de:gbv:45:1-19392

DIVINAE PROVIDENTIAE VESTIGIA
IN
CONRECTORE
GEORGIO CHRISTIANO
IBBEKEN
DEPREHENSA
D.XIX. SEPTEMB. A. C. MDCCXXXVIII.
IN
SCHOLA OLDENBURGENSI
CONTEMPLANDA STITIT
RVDOLPH. IBBEKEN
GEN. SVP.

Oldenburgi , Typis I.C Götien Reg.Dan. priv. Typogr.

4.



Landesbibliothek Oldenburg





עַמּ

INcidit, Auditores omnium Ordinum honoratissimi, incidit aetas nostra in ea tempora, quibus, non intergentes tantum Deum ignorantibus, sed inter eos etiam, qui se populum Filii DEI esse profitentur, eo nonnulli, temeritatis dicam an insaniae? prolabuntur, ut omnia vel casu fortuito volvi, vel humanis consiliis gubernari, diuinam autem prouidentiam rebus nostris nequam præesse, nobisque non prospicere, & sibi persuadere cupiant ipsi, & aliis quandoque persuadere contentur.

Quo major horum mortalium calamitas & nunc est & olim erit; eo majores Deo optimo maximo agendæ sunt gratiae, quod hoc potissimum seculo ingens extitit virorum doctissimorum numerus, qui diuinam gubernationem non in infinito tantum Christi regno, non in summis tantum huius orbis imperiis, sed in minimis etiam & contemptissimis lapillis, herbis, animalculis corporisque nostri partibus conspicuam esse non minori ingenii acumine, quam pietatis ardore, ad oculum ostenderunt. Hoc nobis studium ab eo, qui omnia condidit & gestat, nostro ipsorum commodo, saepe ac serio commendatum esse, ne pueri quidem nostri nesciunt. Quis enim quæsto, non audiuit, quæ devolucibus aëreis, de terrestribus liliis, de ca-

a 2

pi-



pitis nostri capillis, summi moderatoris curæ subiectis , nobis autem plena fiduciæ mente considerandis , pronunciavit ille , qui suo nos sanguine DEO vindicauit ? Sane multæ nobis, & graues & inanes , de futuris rebus eximerentur sollicitudines , si, quæ singulis nobis a partu iam concessa sunt beneficia, sæpius & cum cura expenderemus. Mihi quidem constitutum est , Auditores , divinæ Providentiæ vestigia , in filio , quem Con-Rectorem cœlesti munere video, deprehensa in hoc splendido confessu , tenui sermone indicare potius , quam explicare. Quod ut sine arrogantia , fine cuiusquam fastidio fiat , à Deo , qui hanc mihi linguam dedit , & à Vobis , qui me benignis auribus audire soletis , quo debo cultu ac studio , etiam atque etiam peto.

In literum matris pia cogitatione regreditur diligenterissimus diuinorum viarum indagator , Dauid. Ita enim supremum Numen celebrat : Ago tibi gratias , quod tam abstrusa ratio mirifice in me adhibita est. Non te latuere mei artus , cum in abdito fierem , ingeniose contextus in ima terra. Tu quoque , mi fili , cogita , quid evenerit ante , quam tu hanc lucem intuereris. lacebat anno post Deum inter homines natum 1713 , parens tuus , morti quam vitæ in plororumque oculis vicinior ; fatigabatur multis & tollicitudinibus & laboribus mater minime robusta : Tu tamen , quasi dolorum filius , viuus , integer ac saluus edebaris in lucem. Edebaris autem me absente , si non eo momento , ea certe hora , qua partum felicem ab autore vitæ expetebant mecum , qui preces alias inusitatas in istius temporis periculis fundebant publice.

Hominum non male nobis cupientium consiliis destinata tibi erat nutrix , matris imbecillitatem subleuatura. Sed serpens in Struckhusanis agris contagio impediebat , quo minus ab illis ad nos admittenda videretur quæ tibi lac præbere cogitabat. Parens igitur Tua , pia profecto parens , tuis iam sororibus lactandis sæpe viribus exhausta , filium etiam à Deo concessum , repletis diuinitus uberibus nutritus , nutriebat autem ultra annum & sex menes. Hoc quantum



quantum sit inexhausti bonorum, quæ vere bona sunt, fontis beneficium, intelligunt omnes, qui ingenuorum parentum liberos pessimæ notæ mulieribus tradi, sæpiissime & acerbissime conqueruntur, Tu autem cum lacte materno & modestiæ & probitatis guttas, nisi magnopere fallor, non paucas hausisti. Ita contagii vicini metum tibi salutarem reddidit, qui, quæ noxia videntur, in suorum commodity conuertit. Hunc ergo celebra cum Christo, qui tibi etiam tenello, tenellus natus & lactatus est: Tu quidem is es, qui mihi etiam sub maternis vberibus fiduciam dedisti.

Quartum deinde expleueras annum, cum Anno 1717: ipsa nocte mundo uniuerso salutari, quingenti octoginta duo Stollhamenses undis mergerentur, hominum scelere & Numinis vindicta ex abysso maris in terram lacte alias & melle fluentem prouocatis. Ibi tu, non ut Moses e Nilo per filiam Regis, sed serui alioqui non loquacis monitu, ex inferiori ædium parte in superiorem abductus & in vita conseruatus es.

Ne aquis sæpe exundantibus, ne frigore ac inopia peri-
res inter Stollhamenses, Oldenburgum te, cum sororibus du-
abus accersebat auia. Viam in æquore congelato, nunquam
ante calcatam strauerat omnia potens manus & facilem &
breuem. Oldenburgi autem quam de te excipiendo & fo-
tuendo certatum sit, latius commemorarem, nisi nunc super-
essent, quorum offendere modestiam non audeo.

Omnium beneficiorum, nisi viuere paruum benefi-
cium putamus, minimum neutiquam est, quod in portuhu-
ius urbis tibi contigisse meministi. Perire enim, cum a
salsuginosis aquis remotus es, in dulcibus poteras, nisi
adfuisset ille, quem laudant piæ mentes: Venimus per
aquas, & idem nos in ubertatem eduxisti. Illius vero
prouida cura Juuenem excitauit, nunc honestissimum ci-
uem ut in Huntam, nullis precibus, nullis promissis per-
motus insiliret atque te saluum incolumemque efficeret.

In patriam pene sicciam reuersus, imbuendus eras &
pietatis & latini sermonis initiosis, Ea ut promptius haurires,
so-

Pf. LXVI,

12



sorores adiuuabant æmulæ , quarum alteram vidisti læta mente ad Christum abeuntem , nimirum ut cogitares quorum et tibi , atque quo itinere contendendum sit , alteram nunc etiam nosti vere germano te amore complecti.

Osternburgum deinde cum parentibus , nutu diuino , deferebaris . Sed & hoc domicilium non ingratum tibi , etiam puerο visum esse , nunc etiam , opinor , meministi . Quid illo tempore in hac Schola , Præceptorum industria & fide , in te instituendo præstitum sit , cur ex ea euocatus sis , non commemorabo , ne vel blandiri cuiquam vel detrahere videar . Tu certe Deum etiam hic & in ducibus & in comitibus studiorum præsentem fuisse , merito agnoscis .

Si quid de parente tuo fas est addere , id tu omne supremo vitæ nostræ autori & custodi tribues . Ille enim me triplici morbo tentatum , ter Osternburgi , e fauicibus mortis liberavit .

Cum a Parentibus abires Lipsiam , ad optimarum scientiarum virtutumque mercaturam , quam proquinquum expertus es Deum ! Commorabar in ædibus consobrinæ meæ , in meo olim museo . Bene tibi & cupiebat & faciebat consultissimus Kunholdius . Sed plurima tamen in te consultit , qui neque Theologus salutabatur , quanquam esset , neque sanguinis vinculo coniunctus erat . Iurisconsultorum Antistitem , Auunculi privignum , sed præ filiis pene dilectum , loquor , Illustrem Gribnerum . Ille te , diuinis amoris igniculis incensus & inuitauerat antea cupidissime , & excepit ac habuit semper benignissime .

Quæ ab illo viro consilia , quæ beneficia , quæ exempla viuendi , acceperis , tu non ignoras . Obitus autem eius quot & quanta tibi genuinæ pietatis & patientiæ & sapientiæ documenta ostendit ! Hæc omnia nisi a summi Numinis amore in te manasse fatearis , cœcus omnino sis atque , improbus . Luxisti tu , luximus & nos Gribnerum eo tempore ad spiritus consummatos emigrantem , quo tuis prodefesse commodis potissimum cogitabat . Sed intelliges fortasse in posterum , cur Deus ad se vocauerit eum , qui te Lipsiæ deti-



detinere & ornare amplius cupiebat. Recordaberis fortasse eorum quæ suis dicebat optimus Patronus : Quid ego Ioh.XIII,7, faciam , tu nunc ignoras , sed postea cognosces.

Non ego nunc Bosseckium, Iuris & sapientiae & probitatis consultissimum, mihi ab annis quadraginta & sex semper coniunctissimum, non Mentzium, Pfeiferum, Olearium, amicos veteres, non Weifios, non Boernerum, non Klau-singium, non Deylingium, non Gottschedium, non Heben-streitum, non Ioecherum, non Richterum, non Kortholtum commemorabo, quorum te doctrina et exemplis proficere cœlestis voluit benignitas.

Quid autem hoc est ? Nonne supremi moderatoris, etiam in te, singularis propensio, quod tu , cum Lipsia post triennium ad tuos excurreres, me non in suburbio sed in Urbe inuenisti, quod redux deinde patrem in patria & præter opinionem & supra meritum ornatum dilectumque vidisti.

Parco illustrissimis, ex~~ce~~llentissimis & reverendis nominibus, quorum tibi benevolentiam conciliauit, qui est ipsa charitas. Prætero celeberrimos in ciuitatibus aliis nobilissimis viros, quorum te prouidentissimus Pater vel colloquiis egregiis instruxit, vel vita laudabili ad bene agendum instigauit.

Venio tandem ad id, quod hodie, & ab aliquotiam mensibus, est in omnium conspectu positum, quod tibi, vt prima lucis usura, me non præsente, euenire cœpit. Quam parum ego, homo à teneris imbecillus, expectare, vel etiam optare ausus sim, vt sexagenario maior hoc te loco viderem & compellarem, norunt quidem quodam modo necessariorum hominum nonnulli, nouit tamen unus rectissime, qui abditos cordium omnium recessus explorat.

Sed ita optauit clarissimus Rector, cuius amicitiam & ipsi & tibi & Scholæ proficiam semper esse opto. Amore enim & benevolentia, si modo sincera & diuinis vinculis colligata sit, & humanarum rerum tranquillitas & cœlestium beatas vel maxime continetur. Ita voluit Amplissimus

ur-



urbis patriæ Senatus , consentientibus mirifice suffragiis ; ita placuit Illustrissimo , Perillustribus , Illustribus , Generosissimis , Nobilissimis & maxime Reuerendis viris , qui Regio Consistorio præsunt & adsunt ; ita visum est Augustissimo Patriæ Patri diuinitus nobis dato ut DEO se atque POPULO totum consecraret . Sed vnde hæc omnia ? vnde tam inusitata inter mortales , animorum ad fauendum tibi , tradendamque tibi progeniem honestissimam atque nobilissimam , conspiratio ? Nonne ab eo , a quo vno omnia bona , quemadmodum a Sole dispersi per universum orbem radii , descendunt , in cuius manu sunt , instar vndæ , mentes hominum etiam Regum atque Principum virorum ? Ille eas ad quoscunque voluerit , inclinat .

Imprudentissimus ergo sim ipse atque improbissimus , ineptus atque impius Tu sis oportet , nisi hanc diuinam curam & insignem & prorsus indebitam agnoscamus ac veneremur perpetuo .

Tu modo , mi Fili , ista ætate tot iam ac tantis , quibus addere apud animum & Deum tuum plura poteris , diuinæ Prouidentiæ documentis circumfusus , hoc vnum age ut ab uno atque Trino Numine , benignissimo , sapientissimo & potentissimo semper pendeas . Georgius Christianus dicitus es , cum Deo reddereris & per Christum Spiritumque renascereris . Cogita igitur ipsum auum tuum , a quo Georgii nomen geris ; cogita regulam viuendi electam ab eo & sedulo feliciterque seruatam : Recte faciendo neminem timeas . Cogita vim nominis ab auro accepti , & ad colendos iuuenium animos te vocatum esse quotidie perpende . Sedulum ergo te atque prouidum in serendo atque irrigando præsta , augmentum autem ab eo , qui augere unus potest , pie patienterque desidera & expecta . Christiani nomen indeptus es a viro , qui magnus inter Stollhamenses & erat & habebatur , sed vanitatis rerum humanarum memorabile extitit monumentum . Tu in id omni studio incumbe , id a Deo , Christi nomine ardentissimis votis efflagita , ut & ipse te vere Christianum exhibeas & eos qui te audiunt , Christi san-

sanguine redemptos , & nunc Patriae & olim Christo saluos
repræsentare possis.

Sic tibi Dominus æternum prouidebit , & , omnibus
quæ vanitati obnoxia sunt, bullæ instar , fumique pereun-
tibus , hæreditatem largietur neque marcescentem unquam
neque corrumpendam. Si quid præterea opus est , diuina ,
quæ his tibi viginti quinque annis , prope modum elapsis ,
prospexit , munificentia suppeditare nondedignabitur !

Vos , qui filium meum , Vestrum Con-Rectorem , vel
nunc auditis vel in posterum audietis , iuuenes , non id modo
considerate , quid a vobis expectent honesti , reuerendi &
generosissimi Parentes , sed hoc maxime cogitate , hunc vo-
bis , Deo duce , ad Deum adjunctum esse comitem . Spretis
igitur & abiectis , quæ puerilia , quæ inania , quæ terre-
na sunt , ad ea quæ mascula , quæ solida , quæ diuina sunt ,
omni animi impetu contendite.

Vos , viri doctissimi , & optimi , olim Præceptores &
Commilito , nunc , Deo ita disponente , Collegæ , tu que
omnibus præposite , Rector , Vos , inquam , omnes maio-
rem in modum rogo , amicos vos filio , amicos mihi , amicos
Deo demonstrare , de diuino præsidio extra omnem dubita-
tionem certi ac securi .

Quid vobis dicam , qui in Senatu urbis grauissimo ,
qui in splendidissima horum Comitatuum gubernatione ci-
uili & sacra DEO & Regi adestis ? Seruate hanc , quam De-
us indidit , mentem in filium , in meos & in me ipsum & hu-
ic pietate atque eruditionis palæstræ ita fauete , ut Vos ve-
strosque omnes Summo rerum arbitro curæ singulari esse
experiamini & nunc & in supremo orbis iudicio .

Tu vero , a quo , per quem , ad quem sunt omnia ,
ignosce misero . neque tam recte semper volenti , ac de-
bebam , neque tantum valenti , quantum cuperem . Sup-
ple per Filium Tuum , æternitatis patrem , quæ meis gra-
tiis , desideriis atque viribus desunt . Prospice huic
scholæ , ut tuum regimen ac tutamen quærant & inue-
niant , qui docent & discunt ; prospice Curiæ , vt cu-
B ret ,



ret , quæ tua sunt & Tuis curis ipsa ornetur ; Prospice Regimini, ut tuo arbitrio omnia administret , tuisque presidiis fultum . Tibi atque Regi semper placeat . Prospice Regi & Regiae domui , vt per Te regnet , vt tuis auspiciis floreat , vt , quando tibi Patri omnia regna tradentur , cum iis qui usque ad fines temporum Daniæ imperauerint , stirpe sanctissima & beatissima , æternum in solio Christi sedeat CHRISTIANVS SEXTVS !

